

QVVM VITAE INTEGRITATE, AC  
ERVDITIONIS LAVDE PRÆSTANTES VIRI, ANDREAS LEV-  
TERIVS Straubingensis, & MICHAEL SCHVSTERVS Scherenensis,  
summam Philosophiæ assequerentur in Ingolstadiensi Academia lauream,

AVTHORE PHILIPPO MENZELIO SANDSEHENSI.

156



Vm rudit̄ esset adhuc, & nuper conditus orbis,  
 Ut perhibent, homines inter spelæa ferarum  
 Errantes nullis agitabant legibus æcum.  
 Sed nec in æquoreas pinus descenderat undas  
 Allatum uastas Nili de littore rupes.  
 Scilicet ut centum sublimia tecta columnis  
 Extarent, postesq; auro, ac elephante superbi.  
 Nam domus hic fuerat sua cuiq; ubi quisq; uolebat  
 Esse domi. Quando nox deprendisset in agro,  
 Fronde super uiridi præstabat terra cubile.  
 Victus item simplex, qualem nutricula tellus  
 Inuentrem pronis animalibus ipsa ministrat,  
 Glans erat, atq; ip̄sis quoq; cum radicibus herbæ.  
 Tunc homines sparsi per humum, socijq; ferarum  
 Ducebant nihil esse deos, neq; præmia rectis  
 Nec poenæ restare malis: de nomine nondum  
 Iustitiam norant obiter: sed scilicet illis  
 Vis pro iure fuit: qui uicit, robore uicit,  
 Non caußæ bonitate suæ: sursum, atq; deorsum  
 Omnia posthabitæ præpostera legibus ibant.  
 Non belli, non pacis erant momenta: sed ip̄si  
 Seſe inter nullo dirimebant iudice caußas  
 Stipitibus decernentes, sudibusq; præustis.  
 Talis erat rerum facies liquidissima donec  
 Tempestas quodam fato meliore tulisset,  
 Quis eſe dixere Sophos, diuina scientes  
 Atq; prophana simul, sapienti peclore quorum  
 Flexanimus mira dulcedine sermo fluebat.  
 Hi docuere, deos hominum curare salutem,  
 Astrorumq; uias, & quod uidet omnia, cœlum  
 A eternis uolui imperijs, sine fine cieri:  
 Sic solem proferre diem, sic ducere noctem  
 Sydera, sic Lunam uarijs gaudere figuris.  
 His etiam addebant, quod sit pulcherrima merces  
 Ipsa sibi Virtus, ut nemo remuneret illam:  
 Quod scelus à tergo semper sua poena sequatur  
 Formidanda malis: ulti Deus omnia cernat.  
 Quæ ita commoti posuere ferocia corda,  
 Protinus & latebris omnes cessere relicti.  
 Hinc cæptum condi uallatas moenibus urbes:  
 Hinc legum bissex tabulae, & Minoia iura  
 Expediere reos niuicis, atrisq; lapillis.  
 Fallor? an illud id est, cur natus A polline uates  
 Oeagrius traxisse feras, traxisse canendo  
 Et nemora, & cautes, & se reuocantia retro  
 Flumina dicatur? Sed enim sine lege uagantes  
 Elustris homines uitæ ciuilis ad usum  
 Transtulit, inflammans ad mutua foedera gentes,  
 Dum citharae modulos, & persuadentia iungit  
 Carmina, quæ rigidas possent effringere mentes.  
 Salue igitur, salue formatrix optima morum  
 O Sophia, in uerſu quam plenè dicere non est,  
 Tu quia mortales uictu, uitaq; ferinos  
 In melius reuocans excussa nocte dedisti.  
 Quis laudes meminisse tuas? quis dicere posset?  
 Tu uitij expultrix, & quiq; boniq; magistra

Iure audis: à te reliquæ quasi fonte perenni  
 Emanant artes: à te prudentia loris  
 Incipit, ac legum tibi consecratur origo.  
 Quin & naturæ Medicina ministra parentem  
 Te colit, & semper tua pascitur aurea dicta,  
 Sicut & interpres Diuūm, licet omnibus unus  
 Antistet, perspè tuis se protegit armis.  
 Vos igitur dulces nota uirtute sodales, EL  
 Ingenij fœlix ANDREA, docte MICHAEL  
 Qui laudabo satis, pretiosi temporis usum  
 Sacratas Sophie quod conuertistis ad artes?  
 Est aliquid magnis insumere tempora rebus,  
 Quæ tibi sint decori, quæ commoda publica spectent.  
 Non etenim tantum perdendis frugibus ip̄si  
 Nascimur, aut ueluti telluris inania quædam  
 Pondera, sed meritis ut sit Respublica nostris,  
 Ut patriæ sibi constet honos, pax alma uirescat.  
 Nec uos pænitent duri, pigeatq; laboris,  
 Quo sine posteritas nihil unq; sera probauit.  
 Alcidens quis nōſet .n.? quis nōſet Achillem?  
 Ille nisi monstris terraq; mariq; subactis  
 Purgasset multis totum sudoribus orbem?  
 Hic urbem Priami ferro oppugnasset, & igni,  
 Atq; triumphato sumpsisset ab Hectore poenæ?  
 Egregijs equidem comes est sua gloria factis,  
 Nec statuam deses meruit, fixitue trophæum.  
 Id propter uigili sic semper mente putasti,  
 Quod pereat, studijs quæ non transmittitur hora.  
 Ergo Stagiræ sublimia dogmata sectæ  
 Scitantes, animo totam mox alite mundi  
 Naturam, & miro consertas ordine caußas  
 Lustrâtis: simul eruptis è nubibus imber  
 Cur fluat: ecquid agat cogentes nubila uentos:  
 Unde triplexfulmen: clamosa tonitrua quidnam  
 Eructent adeo violentos desuper ignes:  
 Quid numeri ualeant: quas linea ductilis, & quas  
 Circulus Euclidæ creet hinc illincq; figuræ.  
 Huc tibi nimirum uigilate ad lampada noctes,  
 Optime LEUTERI, fecere: buc pinguis oliui  
 Plusq; uitigeni uel consumplisse liquoris  
 Profuit: idq; adeo nunc exitus iste probabit  
 VOLCKMARIO, qui quantumuis ciuilibus undis  
 Obrutus expendit sapienti examine caußas,  
 Fertilis o Straubinga tuas, nibilominus ipse  
 Quumq; hominum mores, & multas uiderit urbes  
 Per uarios casus miseris succurrere discit,  
 Teq; patrocinio non deficiente tuetur.  
 Nunc igitur uobis, quod adhuc restabat agendum,  
 Gratulor hoc decoris, primum tibi chare MICHAEL,  
 In manibus quia portus adeſt, quia præmia tandem  
 Attulit illa dies, uestroq; illuxit honori,  
 Quem faustum uobis, patriæ benè cedere terræ  
 Omne, precor, faciat stellati sydus Olympi.

Excudebant Alexander & Samuel Vueffenhornij  
Ingolstadij, Anno M.D.LXVII, Mense Jul.

# QAVM ATTATE TATECTATE

TRADITIONIS FATAE DE CIVITATIBUS

ET HISTORIIS SICULORUM

IN QVAM ETATATE TATECTATE

156

QVAM ETATATE TATECTATE  
IN QVAM ETATATE TATECTATE

QVAM ETATATE TATECTATE  
IN QVAM ETATATE TATECTATE